



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Frisone, qui sine sacramentis obijt, satis à filio monitus, cap. 21.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

## CAPVT XX.

**M**iles quidam sceleratissimus ab inimicis suis captus est & occisus, qui cum moreretur, hæc ei verba vltima fuerunt: Domine miserere mei. In cuius morte obsessus liberatus est, quæ cum post dies paucos atrocis vexaret, sicut supra dictum est de Cunone, cap. 17. interrogatus de hoc respondit: Multi congregati fuimus in morte militis illius, sed quia nihil ibi obtinuimus, ampliùs in hoc modico vasculo me vindico. Requisitus de causa subiecit: Tria tantùm heu verba moriens protulit, propter quæ potestatem nostram euasit. Ecce huic prædoni, ob inuocationem diuini nominis, sicut latroni in cruce, tormentum versum est in martyrium. APOLLONIVS: In hoc exemplo satis considero, quòd pœnitentia vera nunquam sit sera. CÆSARIVS: Duo subjungam exempla, per quæ cognosces, quòd extrema contritio fit ex multa misericordia Dei.

## CAPVT XXI.

**I**N Frisia nuper homo quidam diues infirmatus est; habebat autem filium monachum & sacerdotem in Claro-câpo, domo ordinis nostri, pro quo cum misisset, quasi pro salute animæ suæ, nescio quo Dei iudicio, sine confessione, sine viatico, & sine inunctione mortuus est.

## CAPVT XXII.

**C**irca idem tempus in eadem prouincia alius quidam Friso, hostibus suis occurrens, vulneratus ad mortem, & occisi sunt duo filij eius, cumque patrem occisores æstimarēt mortuum, abierunt. Cõperto tanto scelere, magister grãgiæ in Bethwerde, adducto plastro, occisos superposuit, & cum patrem adhuc spirare vidisset, clamauit: Viuitis adhuc domine? cumque ille minimè respõderet, timens hostes esse, subiecit Conuersus: Ego sum, ne timeatis. Tunc ille: Ego enim adhuc viuo. Mox leuatus in vehiculo deportatus est ad grangiã, peccata sua confessus est, communicauit, inunctus est, sicq; spiritum reddidit. Ecce prior cum tempus haberet pœnitēdi, & filius

eum